

piunt, vel ex graeco in latinum, vel ex latino vertere in graecum: quo genere exercitatonis proprietas splendorque verborum, copia figurarum, vis explicandi, praeterea imitatione optimorum similia inueniendi facultas paratur: simul quæ legentem fefellissent, transferentem fugere non possunt. Intelligentia ex hoc et iudicium acquiritur. Nihil obfuerit, quæ legeris hactenus, ut rem argumentumque teneas, quasi aemulum scribere, lectisque conferre, ac sedulo pensitare, quid tu, quid ille commodius. Magna gratulatio, si nonnulla tu; magnus pudor, si cuncta ille melius. Licebit interdum et notissima eligere, et certare cum electis. Audax haec, non tamen improba, quia secreta, contentio: quamquam multos videmus ejusmodi certamina sibi cum multa laude sumsisse, quosque subsequi satis habebant, dum non desperant, antecessisse. Poteris et, quae dixeris, post oblivionem retractare, multa retinere, plura transire; alia interscribere, alia rescribere. Laboriosum istud et taedio plenum, sed difficultate ipsa fructuosum, recalescere ex integro, et resumere impetum, fractum omissumque; postremo, nova velut membra peracto corpori intexere, nec tamen priora turbare. Scio, nunc tibi esse praecipuum studium orandi; sed non ideo semper pugnacem hunc et quasi bellatorium stilum suaserim. Ut enim terrae variis mutatisque seminibus, ita ingenia nostra nunc hac, nunc illa meditatione recoluntur. Volo, interdum aliquem ex historia locum apprehendas: volo, epistolam diligentius scribas, volo carmina. Nam saepe in orationes quoque non historicae modo, sed prope poëticae descriptionis necessitas incidit; et pressus sermo purusque ex epistolis petitur. Fas est et carmine remitti, non dico continuo et longo (id enim perfici nisi in otio non potest), sed hoc arguto et brevi, quod apte quantaslibet occupationes curasque distinguit. Lusus vocantur; sed hi lusus non minorem interdum gloriam, quam seria consequuntur: atque adeo. (Cur enim te ad versus non versibus adhorter?)